

ae Datiae et vectigalia introducta habeantur, ut contribuens ne quidem Salem usui quotidiano necessarium absque vectigali emere, vinum vero suum, ex quo solo contributionis fundus sperari et expectari debet, non secus, quam cum graviore per viam unam in 30 xris., per aliam vero xris 16 a singulo cubulo, adeoque insimul 46 xros, seclusa et huc non imputata educillantis mercede, gravetur, et proxime ad dimidium, qui in regione hac satis exiguus est, valorem et pretium reducatur. Insuper vero vinorum Dalmaticorum, Venetae Reipublicae Jurisdictioni subjectorum, inductio ita in Generalatum Carlostadiensem hactenus per armorum praefecturam sustinebatur, ut magnam et notabilem hujus circulantis Pecuniae partem aequans, nunquam in Regnum, et inter contribuentes Majestatis Vestrae Sacratissimae subditos redditura evehatur pecunia, et per id circulans Massa sensim exhauriatur. Quod si Majestas Vestra Sacratissima omnem Dalmaticorum vinorum, cum vino alioquin Regnum hoc provisum esset, inductionem clementer prohibere, ac una manipulationem negotij eo deduci facere dignata fuerit, ut vijs Segniam et Licciam ac Corbaviam versus aperiendis, ac ad Statum securi faciliorisque comeatus et transitus ponendis, vina Regni hujus ad eundem Generalatum invehantur, respective vero per ipsos confinarios negotiantes oneribus sive Clytellijs Equis efferantur, eveniet et major cum militari illo ejusdem coronae et principis populo communicatio et circulatio pecuniae, contribuentem sublevatura augebitur, consequenter vires populi ad securius et stabilius dependendam Contributionem elevabuntur.

Partes quoque Maritimae cum Segniensi et Noviensi Civitatibus apertis Regni Legibus, jam sub Glorioso etiam Majestatis Vestrae Sacratissimae Regimine conditis, Regni Jurisdictioni subjectae, tantum abest, ut eandem cum obsequio et legali dependentia recognoscerent, quin potius cum derogamine Regni et Banalis Jurisdictionis agnitam Legibus nostris Jurisdictionem recognoscere, ac inter Statum publicum et Dicasteria Majestatis Vestrae Sacratissimae collisiones procurarent, ubi tamen vigor Legum, rectaque politicorum manipulatio exposcerent, partes easdem velut contribuentis subditi membra tum in ordine administrationis Justitiae, cum publicorum onerum portandorum Politicae et Juridicae Regni Jurisdictioni cum effectu subjiciendas esse, ut vel hac etiam ratione amplius et certius commercij ratio promoveri, et contribuentium vires adaugeri possint.

Onera publica, Ipsaque Majestatis Vestrae Sacratissimae Regij aerarij necessitatibus ita exposcentibus augentur, Jurisdictio e converso Politica et in fundis et subditis contribuentibus in dies coarctetur. Excorporationes quippe ad Carlostadium fine dotandi Militis, in Generalatu vero Varasdinensi ultra competentiam Status sui effectivi amplios fundos possidente, ampli et fructiferi oppidi Czirkveno Terreni Annis recentioribus 1767 et 1768 factae, adeo sensibiles sunt nobis et contribuenti plebi, ut nisi de Clementia Majestatis Vestrae Sacratissimae pro futuro praecautae et impeditae fuerint, ea ratione et sensim magna Regni pars, glebaque fertilior, et populus fortior ex contributionis sui in parte in subsistentiam et stabilitatem sufferant.

Dignetur proinde Majestas Vestra Sacratissima jam hactenus ad Carlostadium avulsa et excorporata, ita et oppidum Czirkveno Varasdinensi Generalatui, nec terreni sed nec Personalis sive servientium defectum, quin potius resultantiam habenti incorporatum, reali aequivalenti Jurisdictioni politicae compen-